

A tis præmium creditur, contemni iubetur: dum ostenditur ex terrarum breuitate uel calibus, arcta locis, angusta temporibus. Africanus igitur penè exutus hominem, & defecata mente iam naturæ suæ capax, hic apertius admonetur, ut esse se deum nouerit. Et hæc sit præsentis operis consummatio, ut animam non solum immortalē, sed deum esse clarescat. Ille ergo qui fuerat iam post corpus in diuinitatē receptus, dicturus uiro adhuc in hac uita posito, deum te esse scito, non prius tantam prærogatiuā committit homini, quæ quid sit ipse discernat: ne existimetur hoc quoque diuinum dici, quod mortale in nobis & caducum est. Et quia Tullio mos est, profundā rerum scientiam sub breuitate tegere uerborū, nunc quoque miro compedio tantū includit arcanum, quod Plotinus magis quam quisquam uerborum parcus libro integro disseruit, cuius descriptio est: *Quid animal, quid homo.* In hoc ergo libro Plotinus quærit, cuius sint in nobis uoluptates, moerores, metusque ac desideria, & animositas uel dolores: postremò cogitationes & intellectus, utrū meræ animæ, an uero animæ utentis corpore. Et post multa quæ sub copiosa rerum densitate disseruit, quæ nunc nobis ob hoc solum prætereunda sunt, ne usque ad fastidij necessitatem uolumen extendant, hoc postremò pronuntiat: *Animal esse corpus animatū.* Sed nec hoc neglectū, uel non quæsitū relinquit, quo animæ beneficio, quæ ue uia societatis anime. Has ergo omnes quas prædiximus passionem assignat animali. Verū autem hominē ipsam animā esse testatur. Ergo quod uidetur, non ipse uerus homo est, sed uerus ille est, à quo regitur quod uidetur. Sic cum morte animalis discesserit animatio, cadit corpus regente uiduatum. Et hoc est quod uidetur in homine mortale. Anima uero qui uerus homo est, ab omni conditione mortalitatis aliena est, adeo, ut ad imitationē dei mundum regentis, regat & ipsa corpus, dum à se animatur. Ideo physici mundum magnum hominem, & hominē breuem mundū esse dixerunt. Per similitudines igitur cæterarum prærogatiuarum, quibus deum anima uidetur imitari, animā deum & prisca philosophorum & Tullius dixit. Quod autem ait mundum quadam parte mortalem, ad communē opinionem respicit, qua mori aliqua intra mundum uidentur, ut animal exanimatum, uel ignis extinctus, uel siccatus humor. Hæc enim omnino interiisse creduntur. Sed constat secundum ueræ rationis assertionem, quam & ipse non nescit, nec Vergilius ignorat, dicendo: *Nec morti esse locum, constat inquā, nihil intra uiuum mundū perire, sed eorum quæ interire uidentur, solā mutari speciem:* & illud in originē suam, atque in ipsa elementa remeare, quod tale quale fuit esse desierit. Denique & Plotinus alio in loco, cum de corporum assumptione dissereret, & hoc dissolui posse pronuntiaret, quicquid effluit, obiecit sibi. Cur ergo elementa quorum fluxus in aperto est, non similiter aliquando soluuntur? Et breuiter tantæ obiectioni ualidæque respondit: Ideo elementa, licet fluant, nunquam tamen solui, quia non foras effluunt. À cæteris enim corporibus quod effluit, recedit: elementorum fluxus nunquam ab ipsis recedit elementis. Ergo in hoc mundo pars nulla mortalis est secundum ueræ rationis asserta. Sed quod ait, eum quadam parte mortalem, ad communem (ut diximus) opinionem paululum inclinare se uoluit. In fine autem ualidissimū immortalitatis animæ argumentum ponit, quia ipsi corpori præstat agitatam: quod quale sit, ex ipsis uerbis Ciceronis

Al. qui.

Hōiem nō corpus esse, sed mentem.

Al. qui.

Homo nō uidetur.

οὐκ ἔστιν ἄνθρωπος, ὁμοίως ὡς ἡμεῖς

Nū aliquid in hoc mundo uere intereat.

Nulla pars mortalis in hoc mundo.

e v ronis